



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disquisitionvm Magicarvm Libri Sex**

**Delrío, Martín Antonio**

**Mogvntiae, 1624**

Sectio III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62472)

organis corporeis, quæ illi ad mouendum corpus erant necessaria, quando erat in corpore. Hinc instare quis poterit interrogando. Si in elementare corpus nequit agere; quò in illo pacto poterit apparere, aut illud subire? *Respondet* animas corpora hæc non arbitrato suo, sed Dei subire voluntate atque imperio. quare quando hoc fit, tunc Deus illis largitur qualitatem aliquam, quæ defectum suppleat; quod quoad animas beatas apertius puto, propter visionem Dei multa illis largentem dona; & eorum desiderijs abunde atque per omnia satisficientem. aliter autem à spiritibus (etiam dæmonibus.) corpora mouentur, aliter ab anima corpus informante. Hominis motus est organicus, nam homines à naturali appetitu sollicitati, per qualitatem quandam neruis infixam membra mouent (ad quorum motum etiam nerui mouentur) non simul omnia membra, sed aliud post aliud. Sed animus corpore solutus appetentiam quidem retinet, sed organis corporeis destituitur: ideo corpus, cui se coniunxit, non membratim, neque per partes impellit, sicuti suum dum viuerebat; sed integram simul eius molem protrudit, licet præstigijs quibusdam fieri queat, vt organice mouere videatur. Sic ergo subit, sic mouet corpus assumptum, & sic firma manet secunda nostræ conclusionis probatio, consentaneam esse Philosophiæ illi, quam naturalem vocamus. Idem de Morali probabit sequens ratiocinatio.

### SECTIO III.



**T**ERTIO probatur conclusio, quia decet & utile est hoc Deum aliquando permittere. Etenim si quod ad

**A** multorum demanat vtilitatem, si quod Dei honorem promouet, id fieri expedit, id decet Deum permittere: huiusmodi esse, de quo agitur, necesse est aduersarij fateantur. Nam non difficulter euncerem hæc visa, & commodi multum adferre nobis, & ad gloriæ diuinæ extrariam magnitudinem aliquid adiungere accessions. Cedunt in animarum, quæ Deo gratæ decesserunt, vtilitatem hæc apparitiones: quia si in corpore proprio apparent; dixi quid sentiam: sed si tamen in exuuijs apparent suis, gratissimum id illis iucundissimumque fuerit: nam inest animabus ad sua corpora, quasi ad domicilium suum insitus quidam ab incunabulis amor, à quibus vi abstractæ fuerunt, ad quæ sponte redeunt; vnde & Philostratus inuitas scribit separari, & Plato *φιλοζωμιάτης* vocat, & D. Paulus *b* dixit nos *exspoliari* nolle, sed malle *superuolari*, vt molestam cunctis animæ à corpore separationem ostenderet, sicuti Theophylactus interpretatur: quem amorem separatione non minui, sed coniunctionis pristinæ, & redintegrandæ vnionis appetitionem Theologi volunt manere. Sin autem alieno in corpore conspicuas se præbeant, nõ exiguum percipiunt voluptatem, ex negotiorum nostrorum vtili gestione, & rerum procuracione, quæ ad diuinum spectant honorem: interim suam quoque causam agunt, non illæ modò quæ subsidij & opis indigæ, quod etiamnum expientur, & à viuis eleëmolyas, suffragia, ieiunia, missarum sacrificia impetrant, quibus diuinæ iustitiæ faciant satis, & pœnarum diminutionem obtineant; sed & ipsi beati, cælestis Hierosolymæ albo adscripti ciues; quos interdum Deus sese iubet ostendere, vt corporibus eorum debitos honores exhibeamus, quæ Spiritus

b2. Cor. v. 5.

Sancti

Sancti Purissima fuere templa quod de Sanctis Geruasio & Prothasio Diuus Ambrosius testatur: hoc ergo ipsi lucro apponunt, quia sic in se Deum sentiunt & lætantur honorari Nobis autem, Deus optimè! quot inde commoda, quot cumulantur emolumenta? docent animam nostram corpori manere superstitem: ostendunt non esse impossibilem corporum resurrectionem cuius quædam sunt adubrations: clamât Deum non viuis modo, sed & mortuis præesse, cuius imperio ista paraguntur: certa esse loca manifestant, vbi & fontes indefinenter excreuantur, & pij æuo immortalis cum iucunditate iugi perfruuntur: admonemur societatis & communionis, quæ nobis cum defunctorum fratrum spiritibus intercedit. perferunt ad nos Dei mandata, & mutæ caritatis aliarumque virtutum fiunt auctores, nos de suo statu, & quæ nobis vitæ ratio instituenda faciunt certiores: morientibus interdum se viæ comites, & ad cælestem patriam duces exhibent: horum monitu diuinam declinamus iram; ab his sepe sanitas accipitur, & imminentiæ cervicibus nostris mala depelluntur, & ad proborum exemplum ab improbis pœnæ exiguntur: ipsis quoque damnatorum simulachris iuuamur, per quæ fides nostra fulcitur; & fiat, vt firmius multo, ijs quæ de scelerum supplicijs & de Dei iustitia & prouidentia credenda suscepimus, assentiamur. Hæc omnia & animaduertit, & in Theses artificiosè ac breuiter digessit, & scriptorum grauissimorum exemplis atque historiis solide probauit Societatis nostræ Theologus Petrus Thyraus a, cuius scripta manibuste runtur, pari voluptate & utilitate: nolo eadem hic recensendo actum agere. Tu (bone Lector (confidera, an non

A isti fructus egregij & lauti, quos ab apparitionibus decerpimus? an non hæc gemmæ quouis auro & margarito pretiosiores? hæc nobis omnia, per nefas & inuidiam, moliuntur eripere, si intelligunt; per stuporem & temeritatem miserandam, si non intelligunt; qui visorum fidem ex animis mortalium euellere allaborant.

B Metum nobis hic obtrudunt, sed metuunt vbi nihil timendum. Ingens (inquiunt) hac ratione fraudis leges feritur, dolorum occantur sulci, & lata superstitionis arantur noualia, téduntur subtilia & rara retia, plagæ captendulæ instruuntur; quibus incauti capiuntur, & impediuntur: Satã se solet in hominem, & adæo in lucis angelum transfigurare, quo illum pacto à veris spiritibus distinguemus? Dei donum est discretio spirituum, nec omnibus concessum. male ergo consultū sit generi humano; si tales contingant apparitiones, quibus discernendis non satis idonea Deus remedia reliquerit. *Respondeo* difficilem vere esse spirituum huiusmodi discernendi rationem: neque id cuius peruium aut perispicum. Non deesse tamen hominum eruditorū scripta in his tenebris pralucentia, ne periculose aberremus, signa illi produnt singula verisimilia per se, quædam minus, quædam amplius, si tamen valde multa vel potius cuncta concurrerent, satis certa & luculenta futura. Scriptit olim tractatum integrum circa annum Domini. 1387. Bertramus Episcopus Theselicensis ad Cunonem Archiepiscopum Treuirentem. *de illusionibus demonum* & Ioan. Hagen. alias de Indagine Cartusian. *lib. de apparitione cuiusdam defunctæ* huc spectantē: & fufius egit integro opere Jacob. de Chusa Theolog. *de apparitionib. spirituum, & quo inquiri & agnosci debeant modo, Vtrum vere an sūt?*

C

D

E

Sic Calu.  
in Ltr. La-  
uathæ. de-  
lect.  
Chopin.  
li. 3. de fa-  
ra pol.

a. l. de  
apparit.  
spirituum

St. Peltan.  
d. ca. 5. &  
Thyr. d.  
li. i. ca. 6.

appareant conatur illū suggillare, vt omnia quæ Catholica & pia sunt, vti-  
tus, sed nihil ex eo protulit, quod non  
pium, prudēs, & religiosum. paucis iste  
scriptor notus. Notiores sunt Peltani  
labores & Thyraei prædictæ theses, bē  
quibus quæ certiora primo loco seligā-  
tur. Si signū crucis, nomen Iesu, Marię,  
vel aliorum sanctorum, cereuē reli-  
quias, agni Dei ceream effigiem, lustra-  
lem aquam, panem, salem, eorū be-  
nedictū aut alia huiusmodi Sacramē-  
talia, vel Catholicæ religionis symbola  
fugiant aut detestentur. Si postquam  
quod semel exegerunt præstitum, ad-  
huc frustra rursus appareāt, & sint im-  
portuniores (nam animæ, cū satis fece-  
ris, vel non redeunt, vel semel tantū vt  
agant gratias; cōtra dæmones cautas ex-  
caulis vt funiculum nectunt, vt vel ob-  
sident, vel saltem grauitur decipiant)  
his ergo concurrentibus, diabolus est. 2.  
si se dicat animam esse alicuius dānati;  
mentitur; & dæmon est, vt plurimum,  
vix enim vnquam damnatorū animæ  
inūtur egredi. 3. si prætextit apparitioni  
causam fallam, vel malam; v. g. dicit  
se apparere coactum vi coniuurationis  
magicæ, vel vt reuelet curiosa, parum  
necessaria, aut quæ nesciri expediret:  
dæmon est. 4. si aliter eius oratio sit fal-  
sa, superstitiosa, malesuada; desperati,  
superbi, libidinosi, vindictæ appetētis,  
aut aliter perturbati præferens animi  
ostentationem: dæmon est. 5. si appareat  
forma non humana, formosa & bene  
formata; sed terra, deformi, aut villi: vel  
canis, serpētis, suis, draconis, aranei, bu-  
fonis, vel similibus; vel nigri Æthiopis:  
malus est genius; si verò forma huma-  
na, bona angeli vel beati, vel Dei, tunc  
consideranda operatio: si ex genere suo  
improba, vt blasphemix, superstitio-  
nis, mendacij, homicidij, luxuriæ, &c.  
vel dolosa, ex modo operationis; vt si

A primo congressu lætitiā adferat ani-  
mo, & tranquillitatem, postea horrore,  
turbationem, vel desolationem, vel et-  
iam magno cum fæore, strepitu, vel  
clade abeat: dæmō est. Diuus Antonius  
hanc suis cautionem tradidit, his ferme  
verbis; *Non est difficilis bonorum malo-  
rumq; spirituum discretio. si enim post timo-  
rem successerit gaudium, à Domino sciamus  
venisse auxilium: si autem incussa formido  
permanserit, hostis est qui videtur.* Hanc  
iuxta normam, quæ Diui Thomæ e. B.  
Catharinæ Senensi, Gersoni, & alijs in  
hac palæstra probe exercitatis, non im-  
merito placuit; suos armauit pater I-  
gnacius d: expertus id ipse fuerat. in fi-  
cētio illo & oculato mōstro, quod præ-  
sens lætitiā adferebat, absens contri-  
stabat e. contra bonis spiritibus peculi-  
are, vel iucundum, quem attulerint a-  
nimo, sensum conseruare, vel initio al-  
latū metum, tranquillatione maxima  
compendare, vt Mambrē, Gedeoni, B.  
V. & alijs nouimus accidisse. In eandē  
sententiam D. Macar. g. Quæ à Deo &  
bonis angelis (*id enim vult, à gratia*)  
procedunt, lætitiā perdita sunt, carita-  
te, pace, & veritate: quæ. a. ab iniquita-  
te (*b. à diabolo*) turbatione plena sunt,  
nec habent dilectionem, aut gaudium  
exga Deum, *hoc est spirituale.* plura de  
hoc dicenda iterum lib. seq. *de reuelati-  
onibus.* Hæc puto signa non obscura  
discernēdi viliones malorum spirituum  
à bonis: & tunc non debere nos dubi-  
tare, quin sint auersandę. Semper enim  
vel sunt dæmonum vel damnatorum:  
si tamen vnquam damnatorum animę  
compareant. Nam etsi fatear Deum id  
posse permittere; causam tamē vix vi-  
deo, cur id permittat. sane si permitte-  
ret, non video quomodo possint illorū  
visa discerni à dæmonum apparitioni-  
bus: nisi forte si qua denunciant, in-  
dicarentue, quę omnem hominum co-

e. 3. p. 9. 30  
ar. 7. ad  
d libello  
exerci-  
rior.  
e. Ribado-  
netta cu-  
vital. 1.  
6. Ma-  
scius c. 7.  
f. iudic. 7.  
v. 22. & 6.  
13. v. 21.  
13. & 30.  
ca. 2. v. 10.  
Mar. 16.  
v. 5.  
g. Hom. 7.

Aliquæ  
compara-  
re. voluit  
Peltan. &  
Thyr. d.

gnitio

gnitionem superarent. Item nisi occuparent corpus hominis viventis, nunquam enim animæ, vel angeli boni hominum viventium corpora subintrat: sed hoc dæmonum proprium, vt Zoroastres in Magicis obseruauit, vide Petrum Leloyerium lib. 4. de spectr. ca. pen. Quid igitur (dicat aliquis) tu de illis; quorum legimus animas iterum in corpus ingredi iussas, & quidem nonnullas inferni supplicij addictas inde liberatas? vt Andream illum Romanum anno 1070. cuius historiam habes lectu dignissimam in vita S. Annonis Coloniensis libro primo, capite 33. apud Surium die quarto Decembris, tomo sexto. Equidem arbitror illos inferni penis non nisi ad tempus addictos à Deo. Nam ex inferno nulla est redemptio, quando quis ad eum absolute damnatus: sed fieri aliquando potest, vt quando paulo ante visum expirare, reuera tunc animam non exhalant, sed tantum sint extasim passi, in qua per visum & representationem, ob oculos mentis diuino ministerio obiectam, visi sibi sint & mori, & vere in iudicium rapi, & cætera illa quæ narrat: Post quorum narrationem, vel statim vel diu postea, vere animam exhalant. Quæ sententia cum aliorum, tum Baronij Cardinalis est tomo Annal. XI. dicto anno 1070. Cum tamen ibi dicat Andreas se vere mortuum fuisse, nõ vero dicat se ad æterna supplicia inferni damnatum, sed tantum ad loca æternæ damnationis tractum, (quod dici potest etiam de damnato ad tempus) probabilius multo dici posset hunc ex priori illo genere fuisse; non absolute damnatum, sed ad tempus puniendum secundum præsentem iniustitiam, absoluta sententia suspensa: quæ est D. Tho. Durand. Richard. Abulens. & aliorum Theologorum sententia, lege Bellarminum

A nostrum lib. 2. de purgato. cap. 8. vbi de anima Traiani, disputat, & Valenc. in 3. part. disp. II. quæst. 1. puncto 2. & Franc. Zoar. in 3. part. tom. 2. disputat. 43. sect. 3.

B Par difficultas est, Angelorum apparitionis à Beatorum hominum apparitione dignoscendæ, nam & eorum qui in purgatorio sunt apparitiones, bonorum angelorum opera vicaria nobis, vt plurimum, puto exhiberi. Scio viros eruditos, signa quædam commemorasse; humanas animas quæ iam beatæ lætiore vultu apparere, quæ adhuc expiantur nubilo ac tristiore, hoc sane ad modum probabile est. Addunt sic angelicas ab humanis discerni: humanas esse animas, si se barbatos, senes, vel pueros, vel fœminas exhibeant, aut mœsto habitu, nihil enim horum angelos decere: vt nec in illa quoque animalis vllius specie se exhibere, nec columbæ quidem, item si humanam cognitionem superantia prædicant aut doceant, si preces vel quid aliud subsidij postulent. Sed lubet ab his querere; an nequeant angeli custodes suscipere formam eorum, quorum sunt custodes, & qui in purgatorio expiantur? certum est posse, & solere, neque id ipsi negant, cur non igitur tum, preces aut simile subsidium postulent? cur non tunc in eadem, qua illi erant forma, pueri, senis barbati, mœsti, vel fœminæ appareant, vt cognoscantur? Deinde nonne beati multa nunc norunt, quæ viatorum superant cognitionem, futura quoque, vt angeli, norunt, si Deus illa reuelarit? incertæ igitur sunt hæ notæ. Quibus & historiarum nonnullæ repugnant. Nam & in Patrum vitis habetur scriptum, angelum Anachoretæ iudiciorum Dei inscrutabilem abyssum intelligere desideranti, senili facie & vultu apparuisse.

Sic Tritem. li. oct. quæstionum quæst. 5.

Albert. Para. ser. 1. in Dom. post Petecost.

Notissimum quoque quod de B. Augustino cōmentarios de Trinitate cogitanti refertur puerum illi visum, qui casto & irritō conatu cum Amphitrite Nerea, quantus quantus est, in exilem serobem cochleari infundere nitebatur *b*, quem angelum fuisse non est ambigendum, non magis quam alium illū, quem peruetus historia certaminis D. Dorotheæ narrat *c*, similem puero quadrimo pulchellulo & tenellulo rofas suaue rubentes & mala recētia Theophilo, vt animosa & Deo fidens virgo promiserat, hēmē media, attulisse, cū illis in locis cuncta gelu vi frigoris cōstricta horrerent. Ruffinus etiam & D. Bonauentura testantur, D. Gregorio Nazianzeno se videndam obtulisse Sapientiam cum Castitate, & posset quis, nisi per soporem hoc illi contigisset, suspicari scēmineo cum schema Angelos fuisse. D. Laurentius Iustinianus *d* affirmat, sibi virginem quandam sole candidiorem apparuisse, quæ se sapientiam Dei esse diceret, quæ propter hominum reformationem humanā formam suscepisset, & ab eo in sponsam recepta dato, pacis osculo, recesserit: atque hūc fuisse D. N. Iesum hac illi forma apparentem, volunt illius vitæ scriptores *e*. Arbitrarer potius Angelum fuisse, quod si Christus ipse scēminea in forma apparuit, cur non Angelos eadem in forma se conspiciendos præbere nonnunquam credamus? Exstat Diui Gommari, quem Brabantini mei venerantur, vita, vel à Theobaldo, vel alio quopiam antiquo & disertō scriptore, literis tradita: vbi si reperias angelum à Deo missum, in columbæ specie mirabili splendore rutilantis, supra tentorium se conspiciendum præbuisse, & peregrinationem quam animo voluebat dissuasisse, sublimiorum studiorum atque operum propōita com-

*b* Iacol. de vora gine. ser. 1. de Trinit. & alij hō uclit. r. apud Sur. cō. 1.

*d* in Fasciculo A. motis.

*e* Bernard. Iustinia, in eius vita c. 1. apud Sur. tom. 1.

*f* l. 8. apud Sur. ro. 5.

**A** mutatione, cui cum vñ sanctus paruerit, nihilque inde sit subsecutum, vnde dæmonis fallacissimi queat illud deprehendi, cōplura vero, vnde id diuino mandato factum apparet, neque dæmones colūbæ adhuc speciem Spiritui Sancto dicatam abufos meminerim, boni hanc Angeli apparitionem fuisse, mihi persuadeo. Sed & alia visio vigilanti Vvamberto oblata, videtur docere in aquilæ ingentis forma angelum apparuisse. [Apud Sur. in vita S. Bertraphi cap. 12. Ianuar. die 5.] quamuis si quis contenderet, hanc veram auem fuisse, vt & illa videtur, de qua in translatione S. Laudoaldi scribit *libro primo*. Nogerus Episcopus (*Sur. tom. 2.*) non valde repugnari. Hæc ergo & similia, ne Notis ab illis traditis indubitater assentiar, memorantur: sed imprimis, quia totam hanc spirituum discretionem, quod illi non diffitentur, ex diuina potissimū reuelatione, arbitror dependere. Propterea tutius & præstabilius iudico cum B. Augustino *g*, meam hinc ignorantiam fateri, & discipulū me præstare, quā præcipiti temeritate aliquid definire, vel agere præceptorem, res enim hæc altior est, quā vt à me possit attingi, & abstrusior, quam vt erueret, & profundior, quam vt vadare queam, Hæc pro tertia probatione.

#### SECTIO IV.



**E** Varta petita probatio est ab auctoritate diuina & humana, humanam voco quæ nō est petita ex sacris Theologiæ, sed ex humanæ sapientiæ abditis, diuidamus has probationes, & sit quarta illa, quam ex Gentiliū opinione initio quæstionis fusc deduxi: quibus adde hoc censentes Platonē, in *Phædone*, Trismegistrum, *epistol. ad Tatium*, Apul. *apol. 1.* Maximum Tyrium, *lib. de*

gli. de curia pro mortuis. c. 16.